

11

S.^{MI} D. N. D.

56

INNOCENTII


Diuina Prouidentia

34

P A P Æ X.

C O N S T I T V T I O

Super recessu S. R. E. Cardinalium à Statu Ecclesiastico
sine licentia Summi Pontificis, & reditu eorum,
qui sine licentia huiusmodi recesserunt
ad Romanam Curiam.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apostol.
M. DC. XXXVI.

THE OCEANIC

Company Limited

SHARES

OF THE

Company Limited
Incorporated in the Straits Settlements
and F.M.S. under the name of
The Oceanic Company Limited



INCORPORATED IN THE STRAITS SETTLEMENTS

36 37
15

INNOCENTIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.



VM iuxta sacrorum Canonum dispositionem. Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales in partem sollicitudinis Apostolicæ sint vocati, vt Romano Pontifici pro tempore existenti personaliter assistant, & in regimine vniuersalis Ecclesiæ eorum operam præstent, dicanturque pars corporis, & membra ipsius Pontificis, ac diuersis Ecclesijs Almæ Urbis pro eorum Cardinalatus titulo, seu Diaconia præficiantur, & propterea apud eundem Rom. Pontificem in Romana Curia residere teneantur, merito iam pridem nonnulli Rom. Pontifices prædecessores nostri prouidè considerantes, quam indecens, & detestabile sit, quod Cardinales locum, & mansionem adeò sublimem contra eorum officij debitum deserant, & quod culpabilis est non obtenta ipsius Pontificis pro tempore existentis licentia à Statu Ecclesiastico discedant, varias Constitutiones, & Decreta recessum huiusmodi prohibentia sub diuersis pœnis etiam per Romanos Pontifices pro tempore existentes arbitrandis ediderunt. Quia verò desuper satis prouisum non esse experientia doceatur, & ne tam perniciosum malum in dies crescere contingat, opportuniorem remedia adhibere decreuimus. Motu itaq; proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, de quæ Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetua Cõstitutione statuimus, decernimus, & declaramus, vt omnes, & singuli eiusdem S. R. E. Cardinales nunc, & pro tempore existentes, qui nõ obtenta à Nobis, & Rom. Pontifice pro tempore existente licentia extra temporalem Status Ecclesiastici Ditionem imposturum se transferent, statim, & eo ipso absque aliqua Iudicis, vel alterius præcedente declaratione omnibus, & quibuscunq; priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, etiam conferendi beneficia Ecclesiastica, necnon transferendi pensiones, seu fructus ecclesiasticos, etiam loco pensionum reseruatos, ac restandi, & disponendi sibi quomodolibet à Sede Apostolica concessis priuati sint, & existant; Ac insuper etiam pœnam interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso pariter absq; aliqua declaratione incurrant. Necnon etiam alijs per Nos, & successores nostros Romanos Pontifices quouis modo arbitrandis pœnis subiaceant, & ad sequestrum omnium, & singulorum fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentionum, & emolumentorum vniuersorum, tã quorumcunq; officiorum, & munerum, etiã maiorum, etiã consistorialiter concessorum, specialiq; nota, & expressione dignorum, quæ quomodolibet, etiam ex titulo verè oneroso: quam monasteriorum, & aliorum

rum quoruscunq; beneficiorum secularium, & quorumuis Ordinum etiam S. Antonij Viennesi, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regularium, etiam iurisdictionem siue spiritualem, siue temporalem habentium, quæ in titulū, commendam, administrationem, & aliàs quouis modo obtinent, & pro tempore obtinebunt, necnon pensionum super quibusuis fructibus Ecclesiasticis ex quauis causa, etiam alimentorum, & sustentationis, ac aliàs quomodolibet eis assignatarum, & fructuum ecclesiasticorum, etiam loco pensionum ipsis reseruatorū deueniri, etiam sine aliqua citatione, intimatione, vel declaratione possit, & debeat. Et si prædicti Cardinales per sex menses, quos pro tribus canonicis monitionibus, peremptorijsq; dilationibus, & terminis assignamus à die coram recessus huiusmodi computandos ad Rom. Curiam personaliter, & cum effectu non redierint, ultra pœnas, & alia supradicta, ac cumulatiuè cum illis etiam eo ipso, vt præmittitur, incurrant pœnas priuationis omnium, & singulorum fructuum, reddituum, prouentuum, iurium, obuentioaum, & emolumentorū yniuersorum tam quorumcunq; officiorum, & munerum etiam maiorum, etiam consistorialiter concessorum, specialiq; nota, & expressione dignorum, quæ quomodolibet etiam ex titulo verè oneroso: quam monasteriorum, & aliorum quorumcunq; beneficiorum secularium, & quorumuis Ordinū, etiam S. Antonij Viennesi, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regularium, quæ in titulum commendam, administrationem, & aliàs quouis modo obtinent, & pro tempore obtinebunt, necnon pensionū super quibusuis fructibus ecclesiasticis ex quauis causa, etiam alimentorum, & sustentationis, ac aliàs quomodolibet eis assignatarum, & fructuum ecclesiasticorum, etiam loco pensionum ipsis reseruatorum nostro, & pro tempore existentis Rom. Pontificis arbitrio liberè, & absq; eo quod ius aliquod Titularibus acquiratur distribuendū, & disponendū. Quod si lapsis prædictis sex mensibus per alios sex menses immediatè sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus, peremptorijsq; dilationibus, & terminis assignamus, & assignatos esse volumus, adhuc abfuerint, & in termino horum vltimodictorum sex mensum ad Rom. Curiam personaliter, & cum effectu nō redierint, cumulatiuè cum omnibus, & singulis supradictis pœnis, etiam pœnam priuationis ipsorum prædictorum omnium, & singulorum officiorum, & munerū etiam maiorum, etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet etiam titulo oneroso, vt præfertur, concessorum, Monasteriorumq; & beneficiorum seculariū, & regularium quatumuis vt supra qualificatorū, ac fructuum, & pensionum, etiam loco pensionū, reseruatorū nostro pariter, & pro tempore existentis Rom. Pontificis arbitrio liberè, & absq; eo, quod ius aliquod vt præmittitur Titularibus acquiratur distribuendū, & disponendū eo ipso itidē, & absq; alia declaratione incurrant. Cardinales autem illi, qui ante emanatam præsentem Constitutionem non obrenta à Nobis prædicta licentia extra temporalem Status Ecclesiastici ditionem iam se transfulerunt (saluis & firmis remanentibus omnibus per Nos, seu alios de mandato nostro desuper quomodolibet hæctenus, gestis, & factis, ac in futurum gerendis, & faciendis) si infra sex menses à die publicationis præsentis Constitutionis hic in Vrbe, vt infra faciendæ decurrendos, quos simili-

similiter pro tribus Canonicis monitionibus, peremptorijsque dilationibus, & terminis assignantur, personaliter, & cum effectu, ad Romanam Curiam non redierint, eo ipso itidem absque alia declaratione incidant in poenas interdicti ingressus Ecclesie, & priuationis facultatis testandi, & disponendi, omniumque privilegiorum, & indultorum predictorum, ac fructuum officiorum, & munerum etiam maiorum, etiam consistorialiter, ac etiam titulo oneroso concessorum, atque pensionum, Monasteriorum, & aliorum quorumcunq; supra expressorum. Et si lapsis predictis sex mensibus iidem Cardinales, qui vt praefertur, iam extra dictum Statum Ecclesiasticum sine nostra licentia, se transferunt, infra alios sex menses immediatè sequentes, quos etiam pro tribus Canonicis monitionibus, & terminis, vt supra assignamus, ad Romanam Curiam personaliter, & cum effectu non redierint, insuper poenam priuationis predictorum officiorum, & munerum etiam maiorum etiam consistorialiter, ac etiam titulo oneroso concessorum, atq; monasteriorum, beneficiorum, & aliorum quorumcunq; supra expressorum pariformiter incurrant. Si autem tam Cardinales, qui iam sine nostra licentia, vt praemittitur extra Statum Ecclesiasticum se transferunt, quam illi quos in futurum, vt supra extra eundem Statum absque nostra, & pro tempore existentis Rom. Pontificis licentia se transferre contigerit, per alios tres menses immediatè sequentes, quos pariter pro tribus Canonicis monitionibus, peremptorijsque dilationibus, & terminis assignamus, & sic in totum, infra quindecim menses personaliter, & cum effectu ad Romanam Curiam non redierint, decernimus deueniri posse ad alias poenas etiam quantumlibet maiores, & grauiiores, ac indiuidua mentione specialique nota dignas per Nos, & successores nostros Romanos Pontifices declarandas, ac etiam vsq; ad poenam priuationis dignitatis Cardinalatus inclusuè. Ac demum, vt de cætero tam ad praesens, quàm perpetuis futuris temporibus, cum aliquem ex eiusdem S.R.E. Cardinalibus, nunc, & pro tempore existentibus, absque dicta nostra, & pro tempore existentis Rom. Pontificis licentia, vt supra extra Statum predictum se transferre contigerit, idem Cardinalis in officijs, muneribus, Legationibus, Praefecturis, Gubernijs, Protectionibus ordinũ, seu Congregationum regularium, Archiconfraternitatum, seu Confraternitatum, Collegiorum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumcunq; necnon administratione tituli, vel Diaconiae, ac etiam Episcopatus sui Cardinalatus, ac quarumcunq; aliarum Ecclesiarum, etiam Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, quorum respectu aliquam Iurisdictionem exercet, ac quorumcunq; Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, vt praemittitur, quorumlibet qualifcatorum, illorumque Iurisdictionis tam spirituales, & temporales, & generaliter, in omnibus & quibuscunq; muneribus, & officijs, speciali nota, & indiuidua expressione dignis, sibi a predicta Sede Apostolica commissis, & commissis Cardinalem, vel Praelatum, aut alium quemcumq; substituere, & subrogare, non obstant quibusuis facultatibus, licentijs, & indultis desuper etiam motu simili, ac etiam consistorialiter, & alijs quomolibet



dolibet hactenus concessis, & deinceps concedendis nullo modo possit, & valeat perpetuo similiter statuimus, decernimus, & declaramus, facultatesq; ac licentias, & indulta prædicta, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ad hunc effectum à die quo extra dictum Statum recesserint non obtenta prius dicta licentia cassamus, irritamus, viribusque, & effectu euacuumus, ac pro non concessis, perinde ac si de illis nunquam cogitatum fuisset, haberi volumus. Ab omnium autem, & singularum peenarum, tam supra expressarum, quam etiam per Nos, & successores nostros Romanos Pontifices quomodolibet declarandarum incursum nolumus posse aliquem se excusare prætextu, vel ratione cuiuscumque seruitij, seu negotij quorumcunque Principum, etiam Imperatoris, & Regum, aut Republicarum, Regnorum, & Prouinciarum, nec ratione cuiuslibet iussionis, vel mandati eorum, vel earum quandocumque, vel quomocumque facti, vel faciendi, aut distantiae locorum, vel ratione cuiuscumque alterius causæ, vel occasionis, etiam publicæ, aut aliàs fauorabilis, etiam in corpore iuris, seu Constitutionum Apostolicarum clausæ, nisi huiusmodi causæ, seu clausæ in corpore iuris clausæ coram Nobis, & Rom. Pontif. pro tempore existens, allegata, seu allegatæ, probatæ, seu probatæ, ac expresse admissa, seu admissæ fuerint. Ac ulterius nolumus posse aliquem per quemcunq; etiam per Collegium Cardinalium huiusmodi, etiam Sede Apost. vacante absolui, seu etiam per viam gratiæ, seu iustitiæ restitui, sed omnimodam cognitionem, absolutionem, relaxationem, restitutionem, reintegrationem, rehabilitationem, & quamcunq; aliam dispensationem, seu dispositionem super præmissis, & eorum quolibet Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici priuatiuè quoad omnes reseruamus. Caterum per eandem præsentem non intendimus in aliquo derogare Constitutioni à sel. recor. Urbano Papa VIII. etiam prædecessore nostro super residentia Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, etiam Cardinalium editæ. Decernentes præsentibus litteras, omniaq; & singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque nullitatis vel inualiditatis vitio, intentionisq; nostræ, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo quod in præmissis quomodolibet intèresse habentes, seu habere prætendentes, & præsertim euidem S.R.E. Cardinales præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitatesq; & quæuis alia seruanda, & adimplenda, nullatenus seruata, & adimplenda, causæque propter quas eadem præsentibus emissa sunt adductæ, verificatæ seu aliàs sufficienter, aut etiam in aliquo colore non fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, & in corpore iuris clausis, & ex alia quacumque quantumuis ratione, & priuilegiata causa etiam necessario exprimenda à quocumque impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuersiam, seu ad terminos iuris reduci, vel aduersus illas aperitionis oris, reformationis in integrum, vel aliud quoduis iuris, facti, vel gratiæ remediū impetrari, seu etiã motu simili, ac etiã consistorialiter concessio, quempiam in iudicio, vel extra illud vti nullo vnquã tẽpore posse, neq; easdẽ præsentibus, & quæ-

quæcunque contentam illis sub similiu[m], vel dissimiliu[m] Constitutionu[m],
& dispositionu[m] etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitu-
dine paribus; ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet per quoscun-
que Rom. Pontifices prædecessores, successoresq. nostros, ac etiam per Nos
factarum, & faciendaru[m] reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut
alijs contrarijs dispositionibus pro tempore quomodolibet factis compræ-
hendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoq. valida, firma, & efficacia exis-
tere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac
per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futu-
rum inuiolabiliter obseruari, perinde ac si in Consistorio nostro secreto de
eorundem Venerabilium fratrum nostrorum consilio, & vniuersi assensu
emanassent. Sicq; & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscun-
que Iudices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Au-
ditores, ac Sedis prædictæ Nuncios, nec non eiusdem S.R. Eccl. Cardinales,
etiam de Latere Legatos, & quoscunque alios quauis auctoritate, & pote-
state fungentes, nunc & pro tempore existentes sublata eis, & eorum cuius-
bet quauis aliter iudicandi, declarandi, interpretandi, & diffiniendi facul-
tate vbique iudicari, interpretari, declarari, & diffiniri debere, itaut si vn-
quã aliquod dubium, seu hæsitatio super præmissis, seu eoru[m] aliquo oriri, vel
suscitari cõtingat, nullus præter Nos, ac Rom. Pontifices successores nostros
possit præsentis litteras quouis modo interpretari, & declarare, irritumq. &
inanẽ quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoran-
ter attentari contigerit decernimus. Non obstant. præmissis, ac quibusuis
Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in Concilijs vniuer-
salibus, Provincialibus, & Synodalibus editis & edendis, ac Cæcellariæ Apo-
stolicæ regulis, etiã quatenus opus sit, illa de non tollendo iure quæsito, nec
non sacri disforu[m] Cardinalium Collegij, & quibusuis alijs etiam iuramen-
to confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis &
consuetudinibus etiam memorabilibus priuilegijs quoque, licentijs, facul-
tatibus, indultis, & litteris Apostolicis eidem Collegio, ac quibusuis Cardi-
nalibus, & alijs quibuscunque sub quibusuis verborum ten. & formis, ac cõ
quibuscunque etiam derogatoriã derogatorijs, & alijs efficacioribus &
insolitis clausulis, et decretis etiam irritan. in genere, vel in speci, etiam mo-
tu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam con-
sistorialiter, et alias quomodolibet, et ex quacunque causa etiam hic forsã
necessario exprimenda in contrarium concessis, emanatis, confirmatis, &
pluries innovatis, nec non omnibus et singulis, quæ prædicti prædecessores
in dictis suis Constitutionibus, et decretis voluerunt non obstant. quibus
omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione
que totis ten. specialis, specifica, expressa, et indiuidua, ac
non autem per clausulas generales idẽ importantes merito,
expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc ser-
tum omnium et singulorum ten. præsentibus pro plenẽ, et
pressis, ac insertis habentes, ad effectum præmissorum specialiter, expressis
pleni-

36 21



plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Ut autem eadem
presentes, et in eis contenta quæcunque ad omnium notitiam deducantur,
et ne aliquis illorum ignorantiam prætere possit, Volumus quod eadem
presentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Valvas Basilicæ
Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Flo-
ræ de Vrbe publicentur, et earum copiarum ibidem affigantur, et affixæ relin-
quantur, quæ sic publicatæ et affixæ omnes, et singulos quos concernunt
arceant et assiciant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatæ,
et notificatæ fuissent. Quodq; earundem presentium transumptis etiam im-
pressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, et sigillo personæ in digni-
tate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iu-
dicio et extra illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis presentibus si fo-
rent exhibitæ vel obtentæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pi-
scatoris die xix. Februarij MDCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo,

M. A. Maraldus.

*Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto die
vigesima Mensis Februarij affixæ, & publicatæ fuerunt
presentes literæ ad Valvas Basilicæ Sancti Petri, & Can-
cellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Vrbe, ve-
moris est, per me Hieronymum Mascellam Sanctiss. D.
Nostri Papæ Cursorem.*

Pro D. Mag. Curf. Petrus Paulus Desiderius Curf.